



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilium Cabilonense In Ecclesia Sancti Marcelli In Svbvrbio Cabilonensi
celebratum XV. Kalendas Iunias anno Christi DCCCXXCVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Quod si semel persuasæ ad infirmi corporis vitia la-
psæ , toto tempore vitæ suæ eiusmodi feminæ ege-
rint pœnitentiam , & abstineant se a coitu , placuit ,
eas in finem communionem accipere debere . Ex
Concilio Calchedonensi capite decimo sexto , vir-
ginem , quæ se Domino Deo consecravit , non li-
cere nuptialia iura contrahere . Quod si hoc inuen-
ta fuerit perpetrans , excommunicetur . Confiten-
ti autem decreuimus ut habeat auctoritatem eius-
dem loci episcopus misericordiam humanitatem-
que largiri .

CONCILIVM CABILONENSE
IN ECCLESIA SANCTI MARCELLI IN SVBVRBIO
Cabilonensi celebratum xv. Kalendas Iunias
anno Christi DCCCXXCVII.

HVIVS Synodi mentio est in chronico monasterii Besuensis , cu-
ius auctor ex Synodi actis profert quæ sequuntur : Anno ,
inquit , incarnationis dominicæ DCCCXXCVII. anno quo-
que domni & serenissimi Caroli imperatoris Augusti in
Gallia imperantis 11. indictione v. xv. Kalendas Iunii ,
sacer episcoporum Conuentus , ob pacem & tranquilli-
tatem sanctæ Dei ecclesiæ statuendam , & ecclesiastica
negotia decernenda , apud ecclesiam sancti Marcelli mar-
tyris in suburbio Cabilonensi in Christi nomine coadu-
natus est . Vbi fuérunt domni & sanctissimi archiepisco-
pi Aurelianus , Berninus , nec non & reuerentissimi epi-
scopi , Adalarius , Geylo , Stephanus , Giraldus , Adal-
baldus , Isaac , & Leboinus . Geylo denique Lingonensis ec-
clesiæ reuerendus antistes , vna cum suprascriptis patribus
in hoc sacro residens Conuentu , eorum auribus intimauit ,
qualiter Isaac anteceßor suus res ecclesiæ in Luco in hono-
re S. Martini in sua Synodo a partibus S. Martini de Luco
superiore , capellæ videlicet sancti Marcellini , contra Ada-

ANNO CHRISTI 887. lardum eiusdem capellæ presbyterum iuste & legaliter euindicauit de rebus & decimis. Tunc omnes episcopi hoc audientes in commune, relationem Geylonis venerabilis episcopi, & notitiam euindicationis domni Isaac simul consenserunt, & consentiendo roborauerunt, vt si quis temeraria sacrilegaque præsumptione conuictus, atque circa cupiditate cæcatus hoc quod Dei & domni Isaac & nostra confirmamus auctoritate in aliquo infringere præsumperit, &c. a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ, & coetu omnium fidelium Christianorum tamdiu habeatur extorris, donec resipiscens condigna poenitentia subleuetur. Extat rursus in tabulario Cari loci priuilegium confirmationis Ingelario eius cœnobii abbatii ab eadem Synodo concessum. Itemque alterum ecclesiæ sancti Stephani Dinionensis, cuius subscriptiones sunt huiusmodi.

Aurelianus sanctæ Dei Lugdunensis ecclesiæ episcopus in Christi nomine roboraui.

Bernoinus humilis sanctæ Dei Viennensis ecclesiæ episcopus.

Geylo sanctæ Lingonensis ecclesiæ humilis episcopus.

Adalgarius Æduorum episcopus.

Stephanus dignatione diuina Cabilonensis episcopus.

Adalbaldus Bellicensis episcopus.

Geraldus sanctæ Matisconensis ecclesiæ episcopus.

Isaac humilis Valentinenensis ecclesiæ episcopus.

Ego Brancio presbyter & cancellarius sancti Mammetis scripsi, datusque.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ Concilium Cabilonense.] In codice Besuenfi annus adscriptus est DCCCXXCVI. indictione V. quæ duo minime cohærent. Sed castiganda potius indictione, vt indictione IV. scribatur, & restituendus Christi annus ut in autographo. Ita fieri ut Concilium hoc superiori anteponi debeat.